



*In Commendationem operis*

C A R M E N

*Joh. Gabrielis Majeri, Helv. P. L. C.*

**I**Re sub æthereas, quoniam sic expedit, auras  
 Expetit, & sperat, quas cunqve feretur in oras,  
 Posse placere Liber. Libris velut eruta multis  
 Multa tenet, vigili studio congesta per annos,  
 Quos Deus Auctori tribuit, quæ plurimus usus  
 Postea suggestit; solertia repperit; & quæ  
 Non unus caro monstravit Amicus Amico,  
 Et quæ nunc junctim cunctis evulgat amicus:  
 Sic quoque magnifici magna vi constitit auri,  
 Quod cuivis constare potest. Obstacula quævis  
 Vicit, & ad finem coeptos tolerare labores  
 Ac sumtus pecoris generosi gratia jussit.  
 Ingenii quædam probitas Elephantibus Indis  
 Et radius rasionis inest: Per tesqva vehendis  
 Mercibus & pariter dominis sunt apta Camelis  
 Corpora: mira fides Canibus: dant tergora Tauri  
 Et carnes cum rura diu coluere: maritæ  
 Lac præbent: Ovis numeres si commoda, pri-  
 mas  
 Lanigeris dabis, & mulcebis arundine gratâ:  
 Omnibus antistat præstans Equus, omnibus unus  
 Anteit, & superat non tantum præpete cursu.  
 Utile quid factu fuerit, spectetur avaris